



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

85 Interdictis ecclesiis, capellae, oratoria, & coemeteria interdicta  
intelliguntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

ver. specialiter gloss. in sum. 1. q. 4. & Ab. 85 in d. c. sanè nu. 6. & 7. Et ¶ interdictis ecclésijs, sunt etiam interdicta oratoria, cappellæ, & cœmeteria; prout interdictis civitatibus, suburbia etiam interdicta censentur, c. si civitat. de sent. excom. in 6.

86 Civitates ¶ autem, universitates, terræ, collegia, capitula excommunicari non possunt: quia excommunicatio non nisi contra personas certas fieri potest, sed hoc casu propter delictum domini, & alijs quibusdam casibus, ejus loco apponitur interdictum, cap. quamquam §. qui verò, & ibi gl. de cens. c. Romana, in fin. de sent. excom. ubique in 6. & Navar. in cons. 20. nu. 2. par. 2. lib. 5. de sent. excom.

87 Casus ¶ à jure permitti tempore interdicti supra in definitione excepti sunt octo.

Primo, baptisma parvulorum & adultorum, cap. quoniam & ibi gloss. in ver. interdicti, de sent. excom. in 6.

Secundo, confirmatio, eod. quoniam cum gloss. in ver. qua.

Tertio, confectio chrisimatis, cum concessio baptismate, & confirmatione per consequens sic concessa chrisimatis confectio, cum baptismus sine chrisimate fieri non possit, d. c. quoniam, & Abb. d. c. non est vobis num. 8. de spons.

Quarto, confectio corporis Christi semel in septimana pro infirmis, & tunc submissa voce, januis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, pro quo conficiendo Missa celebratur, cap. permittimus, extra de sentent. excommunic.

Quinto, matrimonij celebratio, quod valet, cum teneat etiam contractum ab

excommunicato majori excommunicatione, gloss. in d. c. fin. in verb. Sacramentis de sentent. excomm. in 6. ¶ non tamen potest fieri solemnis benedictio nisi in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, de quibus in eodem c. fin. ut per Franc. & Raven. ibi.

Sexto, Pœnitentiæ Sacramentum, ut d. c. non est vobis.

Septimo, Eucharistiæ Sacramenti administratio pro viatico, quod decedentibus tempore interdicti non denegatur, cap. quod in te jurata gloss. in verb. denegatur de pœnitent. & remiss. gloss. in dict. cap. fin. in verb. sacramentis & Abb. in d. cap. non est vobis, num. 8. de spons.

¶ Octavo, quamvis sit Missarum solemnitas celebratio, & campanarum pulsatio interdicta, nihilominus in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, & in celebratione Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, & diebus illius octavæ, campanæ pulsari, & januis apertis alia voce divina officia solemniter celebrari possunt, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admisis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum, ut ipsa ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur, præmissis diebus participatio divinarum est permessa, proviso tamen, quod illis, propter quorum excessum interdictum est prolatum, altari nullatenus appropinquetur, ut dicto cap. fin. §. in festivitibus, de sentent. excommunic. in 6. & gloss. in clem. 1. in verb. à jure de sepult. Mart. V in cons. 6 §. quodq; in Festo in Bull. Rom. p. 64. & Eug. III. in eod. Bul. const. 4. p. 67.

Z z z Nunquam